



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

§. 2. Omnis duratio rei duranti intrinsecè superaddita reiicitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

quam nulla alia præcessit, duratio diceretur, & an res in primò instanti temporis in quo existit posset dici durans: in qua quæstione veluti tota de loquendi modo modus loquendi prævalere debet, iuxta quem res non dicitur durare, sed incipere in primo instanti, in quo existit, duratio enim dicit rei perseverantiam, in primo autem instanti existentie rei non potest dici perseverantia, & ita neque durans, quia perseverantia, & duratio connotant rei existentiam in tempore præcedenti. Itaque duratio, & inceptio differunt accidentaliter eo modo, quo prima productio, & conservatio, eadem enim correspondentia ad tempus, quæ inceptio dicitur, potuit esse duratio, illam enim potuit alia correspondentia præcedere, quia illius subiectum primò productum in hoc instanti B, potuit produci in instanti A, seu in instanti B, eadem correspondentiam ad tempus haberet in instanti B: Iuxta hunc dicendi modum res successiva non deberet dici durare, quia nihil illarum perseverat, neque aliquid illarum est in hoc instanti, quod fuerit in præcedenti, nihilominus prævaluit usus ut motus diceretur durans quando una pars alij præcedenti successit, quia motus, qui fuit in instanti præcedenti, & qui modo est, idem moraliter dicitur, sicuti dicitur idem fluvius, qui modò abluit hæc littora, & qui eadem multis retro annis abluerebat, licet nulla pars aquæ quæ antea fuit perseveret modò.

Pater Soar in Metaph. disp. 50. sect. 2. varias refert sententias de natura durationis, quarum primo loco rejicienda est relata num. 3. quæ durationem in negatione superaddita constituit, quia assignari nequit cuius habitus sit illa negatio, quia negatio destructionis est conservatio positiua rei, sicuti destructio est negatio conservacionis, neque huius negacionis alia datur negatio. Neque maiori negotio rejicienda est Thomistarum opinio, quam refert idem Soar num. 7. afferentem rationem durationis consistere in ratione mensuræ quam sic impugno. Ratio mensuræ accidentaliter est entitati adhuc formaliter ut duranti: ergo non constituitur durans ex vi illius. Probo antecedens: ratio mensuræ est extrinseca dependens ab alio extremo & ab intellectu mensurante: sed entitati adhuc ut duranti extrinsece nimis contingit intellectus mensurans unum extremum cum alio: ergo ratio mensuræ rei duranti formaliter ut duranti extrinseca est: ergo ex vi illius non constituitur res formaliter durans. Dices durationem tantum importare mensurabilitatem, seu fundamentum mensuræ actualis, ex vi cuius res constituitur apta, ut possit cum alia commensurari, & esse mensura alius entitatis. Bene est, sed de hac mensurabilitate inquiri, quidnam sitam notis superadditis, an ipsa entitas? æquæ enim nobis est ignota ratio constitutiua durationis.

D. Bonaventura in 2. dist. 2. in 1. part. 2. quæst. 3. PP. Conimbr. hic cap. 14. quæst. 3. & 4. P. Rob. ibid. quæst. 4. & apud hunc Ric. May. Arg. Henr. Jacob. & Scotus, quibus consentit Arriaga disp. 15. docent durationem dicere modum quemdam superadditum rei duranti. Ex his auctoribus quidam putant durationem rerum permanentium esse secundum suam entitatem essentialiter successivam, ita ut distinctus sit modus durationis, ex vi cuius Angelus durat in hoc instanti à modo, ex vi cuius durabit in instanti immediate venturo, & sic in omnibus. Ita Arriaga, & omnes recentiores qui hanc sententiam tuerentur. Alij cum Rubio, & plurimis ex antiquis docent durationem rei permanentis esse intrinsece permanentem, & per eundem modum durationis superadditum Angelum durare hodie, durasse heri, & eras duraturum.

Doctissimus noster Lugo qui semper doctrinâ solidus nihil difficile sine novitate tangit, tom. de Incarnat. disp. 19. sect. 1. num. 20. durationem distinctam à re durante esse affirmat, non tamen illam constituit in modo aliquo superueniente rei iam existentis, sed in actione, ex vi cuius entitas constituitur existens. Itaque ait Lugo res omnes produci, & conservari per actiones essentialiter successivas, ex vi quarum constituitur in diversis temporis instantibus, secundum diversas actiones, quæ rei contingunt, ita ut hæc actio formaliter rem constituat durantem in hoc instanti temporis, quæ sicuti non potest rem in alio instanti temporis constituere, ita neque ipsa potest in aliquo ab hoc distincto existere, sed transacto hoc instanti necessario transit actio, ita ut non possit Deus de potentia absoluta actionem, quæ in hoc instanti existit in instanti venturo

Franc. de Oniedo, Philosoph. Tom. I.

existentem constituere, neque adhuc antecederet potuit illam constituere in aliquo instanti distincto ab hoc, cui est essentialiter affixa, sicuti præsentia spatio imaginario loci, quæ ex suppositione quod existat determinato tantum spatio, & non alij potest respondere.

Durationem non distingui realiter à re durante, sed eandem entitatem durare per se ipsam nullo alio extrinseco superaddito defendunt Pater Soar supra num. 9. P. Valquez 1. part. disp. 33. cap. 3. P. Mol. 1. part. quæst. 3. P. Val. tom. 1. disp. 1. quæst. 10. p. 3. P. Pereira lib. 1. cap. 1. & 5. P. Hurt. disp. 17. sect. 3. subsect. 4. & ex antiquis Scotus, Gabr. Greg. & Ocham cum aliis plurimis.

§. II.

Omnis duratio rei duranti intrinsece superaddita rejicitur.

Venio primò ad Rubium, & alios, qui durationem rei permanentis totam simul esse, & me eadem duratione heri, & hodie durare defendunt, contra quos efficaciter arguo. Duratio ab his auctoribus constituta indifferens est ut sit in hoc tempore, vel in illo: ergo non est in hoc tempore per se ipsam, neque per ipsam potest subiectum in hoc tempore constituere. Consequentia est eadem, quam aduersarij constituunt ad concedendam durationem superadditam. Antecedens probatur: Hæc duratio heri me constituat in diverso tempore ac me constituit hodie: ergo est indifferens ad hoc ut me constituat in die hodierno, vel heri, quia si per suammet entitatem me in die hodierno constitueret, non posset non me semper in hoc hodierno die constituere, quidquid enim entitati per se ipsam convenit, non potest eidem existenti non convenire in quocumque tempore. Dices hanc durationem esse determinatam ut me successivè constituat in die heri, hodierno, crastino heri in heri, hodie in hodierno, cras in die crastino, ac proinde licet me in diversis diebus constituat secundum diversum diem actu existentem, non idem esse indifferens, ut me in illis constituat prædicto modo. Contra: hæc determinatio, quam habet modus iste non est determinatio in actu secundo ad me in hodierno die actu constituendum, sed tantum in actu primo, ac proinde indiget die hodierno modus ille ut determinetur in actu secundo ad me constituendum durantem die hodierno: ergo actu me esse die hodierno aliquid aliud distinctum dicit supra modum illum: ergo modus ille non est formaliter duratio. Dices modum illum connotare tempus, seu quidquam aliud extrinsecum, ex vi cuius determinatur in actu secundo ad me constituendum actu durantem in die hodierno. Contra: ergo illud extrinsecum, quod tu dicis determinare modum superadditum ut me constituat existentem die hodierno, & ut ipse actu existam hodierno die poterit immediate meam entitatem determinare ad existendum die hodierno modo illo secuso: ergo modus omnino est superfluous.

Secundò difficillimè modum istum impugno: Me hodie existentem potuit Deus antecederet heri corrumpere, suppositis etiam omnibus accidentibus, quæ heri habebam: ergo si modus ille, ex vi cuius duro hodie est idem cum modo, ex vi cuius heri duravi, modus ille antecederet potuit heri corrumpi à Deo: ergo potuit non existere hodie: ergo eandem indifferenciam habet ac mea entitas ad existendum, vel non existendum die hodierno, siquidem potuit existere heri, & non existere hodie: ergo vel modus ille indiget aliquo modo extrinseco ut determinetur ad existendum die hodierno, vel illo non indiget mea entitas, sed poterit determinari ad existendum die hodierno, vel illo extrinseco, à quo determinandus est modus ille: ergo superflue ponitur talis modus, & adhuc positus non potest me determinare ad existendum die hodierno, quia heri indifferens erat ad existendum, vel non existendum die hodierno, sed heri, & hodie est idemmet modus intrinsece sumptus: ergo hodie præcisè si attendatur ad suam illius naturam intrinsecam, modus ille eandem indifferenciam habet. Deum potuisse meam entitatem heri destruere suppositis etiam omnibus accidentibus, quæ heri habebam, non potest absque ingenti temeritate negari: an verò possit esse aliqua entitas quæ ex suppositione, quod sit producta non possit per tantum tempus determinatum corrumpi dicam Contr. 6. de anima, Puncto 1. §. 4.

E e Venio

8 Venio iam ad P. Arriagam qui durationem permanentium cum recentioribus constituit in modo essentialiter successiuo rei iam producte superueniente, & ad P. Lugum, qui modum istum successiuum ab actione, ex vi cuius entitas producit non distinguit, contra quos sic argumentor. Deus durat per suam essentiam sine aliquo intrinseco superaddito, & precise per tempus extrinsecum dicitur modò durare in hoc tempore, & crastino die dicitur in alio tempore durare: ergo creatura sine aliqua mutatione intrinseca poterit similiter dici durans in hoc die per aduentum extrinsecum diei hodiernæ & postea poterit dici durans die crastina per aduentum extrinsecum diei crastinæ, eadem semper intrinsecè inuariata. Respondet P. Arriaga Deum per suam entitatem determinatum esse ad existendum in omni tempore, ac proinde non indigere modo superaddito, ut constitutur durans in hoc tempore, quo indiget creatura, quia indifferens est ut duret, vel non duret die hodierno. Admitto discrimen assignatum inter Deum, & creaturam, & adhuc virgo: etiam si Deus per suam entitatem intrinsecè sit æternus, & illi repugnet ex vi suæ intrinsecæ entitatis non esse in aliquo tempore, tamen in actu secundo modò non est in die crastina, neque dies crastina erit in die hodierna, quia esse in die hodierna dicit coexistere hodiernæ diei, & licet Deus semper existat, & intrinsecè semper idem sit, cum dies hodiernus tantum hodie existat, tantum hodie Deus illi coexistat, quia coexistere dicit existentiam utriusque, coexistentis: ergo Deum existere die hodierna, quod est idem, aliquid dicit extrinsecum Deo, per quod æternitas intrinseca, quam Deus habet secum identificatam determinatur extrinsecè ad existendum modò in actu secundo in die hodierna, potius quam in crastina. Hoc posito, sic argumentor: Etiam si Deus sit intrinsecè determinatus ad existendum in omni tempore, & implicet in aliquo tempore, non existere, hic & nunc per aliquid extrinsecum determinatur, ut existat modò die hodierna, potius quam in crastina, & die crastina determinatur ut existat potius in die crastina, quam in hodierna: ergo creatura, quæ omnino indifferens est ad existendum in hoc tempore, vel non existendum poterit supposita illius existentia per tempus extrinsecum determinari, ut potius sit in hoc tempore, quam in illo. Probo consequentiam: determinatio intrinseca non conducit ad extrinsecam determinationem, potius illam impedit, & intrinseca indifferencia non impedit determinationem extrinsecam, sed ad illam conducit: ergo potiori ratione poterit creatura indifferens ad existendum, & non existendum die hodierna, determinari per aliquid extrinsecum ad existentiam hodiernam, quam Deus intrinsecè & ex natura sua determinatus ad existendum in omni tempore: sed Deus non obstante sua determinatione intrinseca ad existendum in omni tempore, modò existit in die hodierna, & non actu in die crastina determinatus ab aliquo extrinseco: ergo potiori ratione poterit creatura ab eodem extrinseco determ nata existere eadem die hodierna: ergo eademmet creatura, & eadem physica actio poterunt determinari per aliquid extrinsecum ad habendam existentiam hodiernam, vel crastinam, & ad habendam durationem, quam posset non habere.

9 Idem argumentum conficio contra P. Arriagam in creatura, quam ipse ait n. 64. possibilem esse, quæ per suam entitatem duret tempore aliquo diuisibili, ita ut ex suppositione quod sit exitura non possit non existere toto illo tempore: illa creatura, quæ per suam entitatem duraret per integrum annum mense Ianuario non esset præsens mensi Iulio, neque mense Iulio esset præsens mensi Ianuario, & mense Ianuario, & Iulio esset eademmet indiuisibilis entitas: ergo non per suammet entitatem constitueretur præsens mensi Iulio, neque mensi Ianuario, quia si hæ præsentia conuenirent illi entitati per se ipsam semper conuenirent, ac proinde toto anno, in quo eadem esset, omnibus mensibus esset præsens, & mense Ianuario esset præsens mensi Iulio, & mense Iulio præsens esset mensi Ianuario: ergo duratio adhuc in illa creatura, quantumuis fingatur per suammet entitatem durans, dicit aliquid extrinsecum, ex vi cuius creatura determinatur ad existendum potius in hoc mense, quam in illo, ex vi cuius formaliter est huic temporis præsens: ergo duratio intrinseca entitati, siue superaddita, siue identificata cum re durante semper est superflua, & impertinens.

10 Alio modo efficacissimè P. Lugum, & P. Arriagam impugno: Creaturam esse in hoc tempore, & esse in alio est accidens quoddam physicum, siue identificatum cum actione ut ait P. Lugo, siue superueniens rei iam productæ ut tenet cõmunis sententia: ergo ex eo tantum dicitur durare hodie quia actu habeo tale accidens: ergo poterit Deus modò facere ut statim durem anno venturo. Probo consequentiam: poterit Deus modò producere modum illum ex vi cuius anno venturo potero durare, vel me conseruare ex vi eiusdem actionis, quæ me poterit conseruare anno venturo, sed eo ipso quod producat talem modum, vel talem exhibeat actionem, me constituet durantem anno venturo: ergo potest modo me constituere actu durantem anno venturo similiter potest producere modum illum, ex vi cuius anno præterito durabam, & me conseruare ex vi actionis, quæ me conseruabat anno præterito: ergo modo me potest præsentem constituere anno præterito. Dices ipsis terminis implicationem inuolui, quia eo ipso quod sim hodie non sum die crastina, neque hesternæ, ac proinde implicat hodie me Deum constituere durantem die crastinam, aut hesternam. Paulisper opperire & absque vlla implicatione terminos explicabo. Existere in hoc die est habere hoc accidens positiuum, seu existere ex vi huius actionis in tua sententia, ex hac ergo intendo in te inferre me posse simul existere die hodierna, & die crastina, quod sic probo: Potest Deus mihi duo illa accidentia, ex vi quorum successiuè possum per te existere die crastina, & die hodierna, simul infundere, vel me simul conseruare ex vi durarum illarum actionum: ergo poterit me Deus constituere simul durantem die hodierna, & die crastina: ergo non bene respondabis si dicas ex suppositione quod hodie durem, non posse simul durare cras, quia licet hoc in re verum sit, intendo ego probare verum non esse in tua sententia, & non inferri iuxta illius principia ex eo quod actu durem hodie, non actu cras durare. Sed esto, implicet modi illi, seu illæ actiones inter se coexistentes, ex hoc capite implicabit me existere simul in duobus mēsuris temporis, & posse simul existere die hodierna, & die crastina: non tamen implicabit me non existere die hodierna sed crastina, dum actu dies hodierna & non crastina existit, quod ego in te probare intendo tanquam absurdum ex tua sententia deductum, quodque hæc extorquet ratiocinatio: me existere die hodierna, vel die crastina tantum dicit habere talem modum seu produci ex vi talis actionis: ergo dum existit dies hodierna in illo priori nature, in quo indifferens fuit Deus ad me conseruandum, vel non conseruandum; ex vi talis actionis in qua consistit duratio iuxta sententiam Patris Lugii, seu in illo priori, in quo fuit indifferens ad producendum, vel non producendum modum durationis, quem de facto produxit, ex vi cuius duro hodierno die, potuit se Deus determinare ad producendum modum alium, ex vi cuius duro crastina die, seu ad producendam actionem conseruatiuam, ex vi cuius crastina die me conseruabit, vel ad producendum modum illum, seu repetendam actionem illam ex vi cuius heri duravi: ergo poterit Deus antecedenter facere, ut dum existat dies hodierna, non existam ego die hodierna, sed die crastina, vel hesternæ, quarum nulla existit. Confirmatur: Deus produxit in hac entitate hos modos, seu illam conseruauit ex vi harum actionum quibus fuit anno 34. postea modos alios, seu alias actiones, quibus durauit anno 35. & postea alios modos, seu actiones alias, quibus durauit anno 36. Inquiri, cur non poruerit Deus immediatè post modos, seu actiones, quibus durauit entitas anno 34. producere modos, seu exhibere actiones, quibus durauit anno 36. difficile poteris repugnantiam assignare, quam si non assignes in te inferam posse aliquam entitatem immediatè post annum 34. transire ad 36. & cum post annum 34. immediatè succedat annus 35. inferetur necessarid entitatem anno trigesimo quinto durare anno trigesimo sexto.

11 Dices modum istum durationis, siue superadditum rei productæ, siue identificatum cum productione ipsius rei essentialiter respicere hoc spatium, & ita non posse in alio prodnci hoc spatium transacto, & ita repugnare produci modum, ratione cuius hodie duro in alia mensura distincta ab ista, & eadem ratione repugnare modò repeti durationem, quam heri habui, quia iam spatium, cui essentialiter ex natura sua est affixa, transactum est, & modò anteponi durationem, quam habeo crastina die, quia nondum illius

illius spatium aduenit. Hæc solutio destruxit potissimum fundamentum opinionis constituentis durationem superadditam, quia si ad spatium imaginarium patet aditus, latissimus patet campus, quem tela propugnantium, durationes superadditas attingere nequeunt: dicam enim me existere in hoc tempore esse correspondere huic spatio imaginario; & magis, minusve durare esse correspondere maiori, vel minori spatio imaginario temporis, quod acriter impugnant qui durationes superadditas defendunt, ex eo quod spatium imaginarium non est aliquid reale adhuc negatium, sed primum signum, quod tantum habet esse obiectiue in intellectu, quod respectu durationis, quæ seclusa omni fictione extrinsecæ, vel intrinsecæ rem afficit, perinde est, ac si non esset. Doctrinam hanc de spatio imaginario temporis verissimam censeo quam de spatio imaginario loci probauit Controuers. 15. Puncto 2. & ita in omnium opinione secludendum est spatium imaginarium: illo ergo secluso dicant qui durationes ponunt esse modos reales, & physicos, cur durationes quibus successiue durat hodie & cras non poterunt inuicem ordine produci, ita ut prius existeret modus, ex vi cuius constituitur cras durans, & postea modus ex vi cuius durat hodie, ita ut prius duraret cras, quam hodie, quod absurdissimum esse, & naturis rerum repugnans esse non nego, sed intendo hoc absurdum, istudque obiectum in se repugnans inferri legitime ex sententia, quæ durationem constituit in modo aliquo ex vi cuius res producatur, vel qui rei iam productæ superueniat.

12 Alio modo qui parum à præcedenti differt, posset dicere durationem, ex vi cuius hodie durat esse essentialiter affixam huic tempori, & ita non posse adhuc antecederet in alio distincto ab isto produci, & sic de omnibus aliis durationibus. Contrà: deficiente hoc motu cælorum & alio loco huiusmodi existente, vel etiam deficiente omni motu, cuius duratio est tempus reale, possem ego habere eandem durationem, quam modò habeo: ergo hæc duratio nulli tempori reali est affixa: ergo ratione temporis realis potuit in quacunque mensura seu cum diuerso ordine prioris, & posterioris ab illo quæ habet cum duratione hesternâ, & crastina produci. Deinde duratio motus non distinguitur ab ipso tempore: ergo dici nequit durationem motus non posse produci cum alio ordine prioris, & posterioris ex eo quod sit tempori affixa. Instari solet exemplo præsentia localis, in quo faciliè disparitatem assigno: esse in hoc loco, vel in illo nihil aliud esse quam habere hanc vel illam præsentiam, ac proinde quotiescumque Deus velit hanc in me præsentiam producere, dicat esse in hoc loco, quod si simul cum hac præsentia velit aliam in me præsentiam producere, duplici affectus præsentia dicat esse in duplici spatio, quod in re nihil aliud est, quam duplex ubi, seu duplex accidens superadditum esse in me productum, ac proinde sicuti semper liberum est Deo duplicem, vel vnicam hanc, vel illam præsentiam in me producere, liberum est semper Deo me in duplici loco aut in hoc vel illo constituere: De duratione autem non potest ita philosophari, quia si dicatur esse in hoc tempore, vel in illo nihil aliud esse quam habere hoc, vel illud accidens, seu productum ex vi huius, vel illius actionis non potest sufficiens reddi ratio cur Deus non possit producere modò quamcumque durationem, & absque vlla interruptione hanc durationem immediatè post illam & me constituere durante anno trigesimo octauo dū reliqua entia durant anno 35.

13 Vltimò posset dici non posse modò produci durationem præteritam vel futuram, neque durationem crastinam immediatè post hesternam hodiernam non intercedere, quia durationes essentialiter petunt hoc ordine produci, & hæc esse priorem, deinde subsequi aliam, & illam posteriorem esse. Contra hanc solutionem insurgo sic. Hæc duratio, quam modò habeo, non petit aliam sibi immediatè antea præcessisse, neque aliam succedere post istam, quia potuit esse prior, & potest esse posterior omnium, quas habebam, potui enim incipere in hoc instanti, & tunc hæc duratio esset prior, & possum desinere in instanti venturo & tunc eadem esset posterior: ergo talis ordo prioris, & posterioris essentialis non est huic durationi. Dices non esse essentialiter absolutè hunc ordinem durationi, sed tantum ex suppositione, quod producendæ sint durationes aliæ, quæ si producantur non poterunt non hoc ordine produci. Contrà: durationes petere hoc ordine produci, cur etiā

si illum exigant non poterit Deus contra exigentiam illarum hunc ordinem inuertere? Secundò cur omnes hæc durationes, quæ cum hoc ordine inceperunt à die hodierno non potuerunt eodem ordine à die crastina incipere: quod si posset contingere, durationes ipsæ indifferentiam haberent ad existendum in hoc tempore potius, quam in illo. Hæc contra opinionem constituentem in modo intrinsecè superaddito rei duranti, siue distincto, siue identificato cum actione, ex vi cuius producitur.

14 Contra opinionem Patris Lugo constituentis durationem in actione essentialiter successiua præter difficultates, quas suprà expendi, obici potest, non esse de conceptu essentiali actionis distingui à termino, & ita posse actionem identificari cum termino ex natura sua immanenti ut absolute de omni actione dicebam Controu. 12. Punct. 1. Secundò difficile in Theologia poterit componi meritum nostrarum operationum, quia cum actus voluntatis qui meritorij sunt formaliter includant actionem, & in hac totum exercitium nostræ libertatis consistat, si actiones sunt essentialiter successiue & singulis instantibus singulæ actiones correspondeant sequitur hominem elicientem actum amoris durantem per octo temporis instantia elicere octo actiones numero adæquatè distinctas, & consequenter octo amoris actus, quorum cuilibet distinctum præmium correspondet, non solum ratione circumstantiæ distinctæ, sed etiam ratione substantiæ amoris, qui secundum substantiam distinctus est in quocumque instanti à reliquis, qui sunt in aliis temporis instantibus, & in opinione Aristot. cum in quacunque mensura temporis existant infinita instantia, infinitos amoris actus eliceret homo, in quacunque parua temporis mensura, in qua amorem eliciat; & cum cuicumque ratione substantiæ actus, est illius duratio sit instantanea, distinctum præmium aliquorum correspondeat, infinitis actibus infinitæ partes aliquotæ gratiæ in præmio respondebunt, & ita homo per quodcumque opus meritorium durans tempore valde exiguo infinitam gratiam consequetur, quod absurdum est.

Hæc in communi sententia faciliè componuntur, quia ille, qui per integram horam perseuerat in eodem actu, eundem exercet secundum substantiam in omnibus instantibus, & ita cum in primo, & secundo instanti substantia actus non est distincta, non illi correspondet distinctum præmium, neque est peccatum distinctum secundum substantiam, sed tantum illi accrescit malitia aut bonitas ratione circumstantiæ, & cum respectu cuiusque instantis, seu partis proportionalis circumstantia aliquota non sit, ita non illi præmium aliquotum correspondet. Reicienda ergo est sententia P. Lugo, quia præter difficultates, quas patitur totam commouet Philosophiam, ac Theologiam. Tandem utramque sententiam euertent rationes, quas iam exhibeo ad producendum durationem non esse aliquid intrinsecum superadditum.

§. III.

Propria sententia.

ASpero cum sapientissimis Patribus Vasq. Soar, Mol. 16 Valen. à quibus sine vrgentissima ratione numquam recedere audeam, durationem non esse accidens intrinsecum rei superadditum, sed eandem entitatem per se ipsam, & per connotationem extrinsecam ad tempus actu, vel potentia existens, durare & constitui in tempore, & in hoc præ alio. Priorem partem conclusionis videlicet durationem nihil reale intrinsecum importare sic probò: eò ipso præcisè quod intelligatur creatura existens, & tempus extrinsecum constituitur creatura coexistens tempori extrinsecum: ergo constituitur in tempore: ergo constituitur durans: ergo non indiget alio accidenti superaddito. Antecedens probò: coexistentia nihil aliud est quam vtrique existentia extremorum coexistentium: ergo eo ipso quod intelligatur existentia creaturæ, & existentia temporis, seu illius possibilitas intelligitur coexistentia rei & temporis actu, vel possibilis. Consequentiam probò, esse in tempore nihil aliud esse, quam coexistere tempori, sed per existentiam rei, & temporis intelligitur hæc coexistentia quocumque alio secluso: ergo quocumque alio secluso intelligitur res in tempore existens.

Confirmo eandem conclusionem: entitas ex se indifferens ut duret in hoc tempore vel in illo, in sententia con-

E c 2 stitueret